

firmatus fuerit auctoritate Papæ, sive per statutum ab eodem confirmatum, tunc sine interventu Papæ augeri nequit (1). Si autem ecclesia numerata fuerit auctoritate solius Episcopi aut capituli, eadem etiam auctoritate numerus canonicorum augeri potest, abrogando scilicet statutum de non augendo numero (2). Episcopus tamen propria auctoritate aut independenter a capitulo, certum canonicorum numerum augere nequit, sed consensum et votum capitulo exquirere tenetur (3).

IV. In territorio Gallicano, prout erat 1801, capitula uti numerata haberi non debent. In decreto enim Cardinalis a Latere *cum Sanctissimus Dominus 9 Ap. 1802*, quo bulla novæ circumscriptionis Diœcesium Galliæ publicatur, Episcopis facultas conceditur erigendi capitulo *cum eo dignitatum et canonicorum numero, quem ad ecclesiarum utilitatem et honorem, attentis rerum circumstantiis, expedire judicabunt*. Licet determinatus canonicorum numerus tantum pensionem a gubernio recipiat, nullum tamen generale existit statutum ecclesiasticum de non augendo eorum numero. Unde non tantum a Papa, sed etiam ab Episcopo cum consensu capitulo addi possunt canonici, supposita erectione præbendarum, ex nova v. g. fundatione provenientium (4).

**§ 2. An Episcopus, erecto capitulo cathedrali cum canonicis et dignitatibus, deinde novos canonicatus et dignitates creare et superaddere potest?**

Prænotandum est in hac quæstione supponi, Episcopum numerum canonicorum augere posse, ut in præcedente explicatum est.

I. Episcopus cum capitulo consensu, etiam absque Sedis Apostolicæ licentia, legitima pollet facultate, novos erigendi canonicatus ac præbendas in ecclesia cathedrali : nam cum canonicatus sint beneficia, et quævis beneficia auctoritate Episcopali creari possint; sequitur Episcopum auctoritate propria canonicatus

(1) Pallottini, *Capitulum*, § VIII, n. 84-86.

(2) Scarfantonius, lib. 1, tit. XIV, animad. 28, et lib. 4, tit. XII, n. 4; Barbosa de canonicis cap. III, n. 2; Fagnanus in 1 p. tertii Decret. de præbendis cap. *Dilectus*, 2<sup>o</sup> n. 16.

(3) Zamboni, *Capitulum*, § VII, tom. IV; Pallottini, *Canonicatus*, § III, n. 9.

(4) Bouix de capitulis p. 1, s. 2, cap. IV, n. 8; Craisson Manuale juris can. n. 2180.

erigere posse, modo speciale non obstet statutum Pontificale, uti supponitur (1).

Episcopus autem absque capitulo consensu novos canonicatus creare nequit. Irrita censemur erectio, si hujusmodi consensus defuerit (2). Quod si capitulo erectioni irrationaliter se opponat, et consensum neget, illum supplet Sacra Congregatio Concilii (3).

II. Episcopus dignitatem, quæ aliquando in illa ecclesia fuit, et nunc desiit, cum assensu capitulo restituere potest. Ad erectionem vero novæ et inusitate dignitatis, quæ in similibus ecclesiis erigi non consuevit, Summi Pontificis requiritur auctoritas. Quod si agatur de instituenda dignitate, quæ in tali ecclesia antea non fuit, usitata tamen, quæ in similibus ecclesiis erigi consuevit, sacrisque canonibus cognita existit, uti sunt Archidiaconatus, Archipresbyteratus, Decanatus, Præpositura etc., ad solam pertinet Apostolicam Sedem, illam de novo instituere (4); licet plures censeant, eamdem ab Episcopo institui posse (5), cum capitulo consensu, nisi forte in casu, quo dos aliunde quam ex redditibus illius ecclesiæ constitueretur, quia tunc canonicis nullum fit præjudicium in suis redditibus, et augetur cultus divinus (6). Si consensus injuste deneraretur, per Sacram Congregationem concilii suppleri potest, uti supra notatum est.

Quæ sint jura canonicorum posterioris erectionis, infra dicetur dum agetur de juribus canonicorum.

CAPUT IV.

**§ 1. De capienda possessione canonicatus et dignitatis.**

I. Possessio capienda dicitur installatio, investitura, institutio realis et actualis, inductio seu missio in possessionem actualem, realem, corporalem.

(1) Zamboni, tom. 4, *capitulum*, § VII; Barbosa de canonicis, cap. II, n. 22; Corradus Praxis benef. lib. II, cap. III, n. 1; Craisson Manuale juris Canon, n. 2267.

(2) Pallottini, *Canonicatus*, § III, n. 3 et seq.; Zamboni loco cit. Bouix de capitulis p. 2, cap. III; Lucius Ferraris *Canonicatus* art. XI, n. 17; Scarfantonius lib. 1, tit. XIV animad. 35.

(3) Pallottini loco cit. n. 75, 76 et seq. aliique auctores citati.

(4) Bened. XIV, de Syn. Dioec. lib. XII, cap. 1, n. VIII.

(5) Zamboni tom. 4, *Dignitates ecclesiast.* § 1; Barbosa de canonicis, cap. IV, n. 4; Scarfantonius lib. 4, tit. XII, n. 9; Bouix de capitulis p. 2, cap. III.

(6) Scarfantonius loco cit. n. 10.

Possessio canonicatus necessario capienda est. Satis non est, aliquem canonicatus collationem seu provisionem consecutum esse, ut fructus percipiat suosque faciat; sed requiritur ut ipsius possessionem adipiscatur; ita ut illius fructus non decurrant, nisi a die captæ possessionis; et si fructus ante corporalem possessionem recepti fuerint, restituendi sint (1). Hæc tamen solutio limitanda est, nisi superior a possessione capienda justis de causis dispenset in finem, ut quis sine ea præbendæ fructus percipere valeat: possessionem enim capere ad formalitatem pertinet, in qua justis intervenientibus causis ab ea dispensari potest (2).

II. Nemo propria auctoritate possessionem capere potest (3).

Canonicatus et præbendæ capitularis possessio coram capitulo collegialiter congregato necessario capienda est (4). Ad eam quidem non exiguntur varii ritus et cæremoniæ, que in pluribus locis fieri solent; possessio vero capitulariter capta cum receptione in fratrem omnino requiritur: alias nullitate laborat (5). Ad possessionem capitulariter capiendam non obstat, si aliqui canonici contradicant, neque oportet omnes adesse canonicos; sed sufficit capitulo collegialiter congregatum esse, et possessionem capi coram repræsentantibus majorem et saniorem partem capituli (6).

Hujusmodi institutio spectat ad deputatum Sedis Apostolicæ seu Episcopi, sive ad superiorem canonicum seu illum, ad quem ex statutis capitularibus aut ex consuetudine pertinet (7).

Sic possessio capitulariter capienda est de quocumque canonico, sive dignitate quæ est de capitulo. Si vero dignitas non sit de capitulo, possessio necessario non est capitulariter sumenda (8).

Etsi possessio, ut jam dictum est, capitulariter capienda sit, sequentes tamen allegantur casus, in quibus admittitur possessio, licet capitulariter capta non fuerit, videlicet: 1º si in illa ecclesia sit consuetudo capiendi possessionem etiam non capitulariter;

(1) S. C. C. 9 Maij 1874 in Actis S. Sedis, vol. 8, fol. 21.

(2) Acta S. Sedis ibidem.

(3) Scarfantonius lib. 4, tit. IX, n. 23; Lucius Ferraris *Institutio*, n. 37; Soglia Instit. juris priv. § 96.

(4) Acta S. Sedis, vol. 8, fol. 22; Barbosa de canonicis, cap. XV, n. 1; Scarfantonius ibidem n. 24; Lucius Ferraris Canonicatus art. 2, n. 15 et seq.

(5) Acta S. Sedis ibidem fol. 21.

(6) Barbosa de Canonicis cap. XV, n. 2 et 3; Scarfantonius lib. 4, tit. IX, n. 32.

(7) S. R. C. 25 Feb. 1758. *Pisauren*. Barbosa loco cit. n. 1.

(8) Barbosa ibidem et Scarfantonius ibidem n. 36 et 37, n. 4.

2º si capitulo irrationaliter neget tradere possessionem; 3º si pro visus per patientiam canonicorum sine ulla contradictione admittatur ad omnes actus canonici solis competentes, ut dare vocem in capitulo, cum habitu canonicali sedere in stallo chori, et similia (1).

Possessio apprehendi potest per procuratorem habentem speciale mandatum, ut praxis servat (2).

III. Etsi ad collatorem potissimum spectet, de ejus, cui canonicatus confertur, idoneitate inquirere; capitulo equidem etiam jus habet inquirendi, an pro visus omnibus gaudeat qualitatibus, quæ sive de jure, sive ex particularibus hujus ecclesiæ statutis et consuetudinibus requiruntur. Si pro visus aliqua requisita careat qualitate, capitulo legitime contradicere potest, etiam ad impediri executionem, pro visumque a possessione omnino arcendum (3). Nulla autem causa legitima obstante, capitulo quanto citius pro visum recipere tenetur. Licet enim a jure nullum tempus præscribatur, sine causa tamen differri non potest; et si differretur, pro visus jus habet appellandi ad superiorem (4).

IV. Modus et ritus possessionem capiendi, varii esse solent pro diversitate locorum. Hi necessario non requiruntur, ut jam supra dictum est, præstat tamen servare laudabiles cujusque ecclesiæ consuetudines.

Juxta plures auctores, canonicis collegialiter congregatis, pro visus præsentat collationis litteras; quibus reverenter receptis, lectis et recognitis, ipse choralibus vestibus induitur. Deinde deputatus ad possessionem tradendam, pro visum ducit ad altare, quod ipse osculatur; deinde ad chorum, eique stallum assignat, in quo pro visus paulisper sedet; et tandem reducit ad locum capitularem. Ibi pro visus omni cum modestia petit, ut ipsum in fratrem recipere dignentur. Dignior de capitulo benigne respondet, ipsum libenter in socium et fratrem a cunctis recipi; eumque simul paterne admonet de necessitate servandi statuta et laudabiles ecclesiæ consuetudines. Pro visus promittit se hoc fideliter factum, et si ea sit consuetudo, genuflexus jurat, se statuta et la-

(1) Barbosa ibidem n. 10 et seq.; Scarfantonius ibidem, n. 26 et seq.; Bouix de capitulis p. 1, s. IV, c. X.

(2) De Angelis, *Præelect. juris can. lib. III, tit. VII, n. 5.*

(3) Louvrex dissert. II, n. 8 et 9.

(4) Scarfantonius lib. 4, tit. IX, n. 20; Lucius Ferraris *Institutio*, n. 33.

dabiles ecclesiæ consuetudines observaturum. Et quia juxta Concilium Tridentinum sess. 24, cap. 12 de reform. promotus publicam fidei professionem in capitulo facere tenetur, idcirco canonicus admissus, permanens genuflexus, hanc facit fidei professionem. His peractis, promoto locus sedendi in capitulo assignatur, ibique tantisper sedet. Surgens gratias agit digniori omnibusque capitularibus, qui ut animorum coniunctionem ostendant, novum canonicum ad osculum pacis admittunt, incipiendo a dignioribus (1).

Deputatus ad novum canonicum in possessionem mittendum, incedere debet in habitu talari, si non sit de capitulo, et in insignibus propriæ dignitati convenientibus, si sit de capitulo. Assignato stallo in choro seu loco in capitulo, aliis cæremoniis, quæ v. g. in gratiarum actionem fieri solent, deputato, si non sit de capitulo, in choro interesse non licet (2).

Captæ possessionis publicum conscribendum est instrumentum, in quo notandum est, non solum possessionem captam fuisse servatis servandis aut coram testibus, sed præcipue, eam captam fuisse coram capitulo collegialiter congregato, quia alias possessionem legitimam non probat (3).

### § 2. De fidei professione a novo canonico facienda.

1. Hanc obligationem Concilium Tridentinum sess. 24, de reform. cap. 12 præscripsit his terminis : « Provisi etiam de beneficiis quibuscumque curam animarum habentibus, teneantur a die adeptæ possessionis, ad minus intra duos menses, in manus ipsius episcopi, vel eo impedito, coram generali ejus vicario, seu officiali, orthodoxæ suæ fidei publicam facere professionem, et in Ecclesiæ Romanæ obedientia se permansuros spondeant ac jurent. Provisi autem de canonicatibus et dignitatibus in ecclesiis cathedralibus, non solum coram episcopo, seu ejus officiali, sed etiam in capitulo idem facere teneantur : alioquin prædicti omnes provisi, ut supra, fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur. »

2. Hæc fidei professio a canonicis et dignitatibus facienda est

(1) Lucius Ferraris *Institutio*, n. 36; Scarfantonius lib. 4, tit. IX, n. 40; Castaldus *Praxis Cærem.* lib. 1, sect. 8, cap. 2.

(2) S. R. C. 25 Feb. 1758 *Pisauren*.

(3) Barbosa de *Canonicis* cap. XV, n. 4.

formula, quam præscripsit Pius IV in Bulla *Injunctum nobis* Idibus Novembris 1564, additis post verba *præcipue a sacro-sancta Tridentina Synodo sequentibus et ab oecumenico Concilio Vaticano tradita, definita ac declarata, præsertim de Romani Pontificis Primatu et infallibili magisterio*, juxta decretum Pii IX, 20 Janurii 1877, *Quod a priscis*. Si quis professionem alia formula emitteret, non magis satisfaceret, quam si nullam faceret, ut liquet ex ipsa Bulla.

Juxta Constitutionem Alexandri VII *Regiminis Apostolici* quinto decimo Kal. Martii 1665 formula circa quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro excerptas subscribenda erat intra tres menses a die publicationis ab omnibus ecclesiasticis. In Belgio introducta fuerat consuetudo, qua omnes promovendi ad sacros ordines et ad beneficia ecclesiastica idem formulare se admittere jurabant. Cessante autem nunc fine, cessat obligatio.

3. Ad fidei professionem tenentur canonici et dignitates ecclesiæ cathedralis, uti Concilium Tridentinum explicite præcipit; non tamen canonici honorarii nisi ex statuto aut consuetudine (1) quia Concilium tantum loquitur de canonicis præbendatis seu titularibus, qui fructus faciunt suos, quales non sunt canonici honorarii: neque coadjutores canonicorum et dignitatum, quia durante coadjutoria, non sunt veri canonici, sed tenentur tantum, quando mortuis coadjutis, in eorum locum succedunt (2); nec beneficiati, capellani, portionarii, aliqui qui non sunt canonici.

4. Hanc fidei professionem iterum facere tenetur ille, qui de novo acquirit canonicatum vel dignitatem in ecclesia cathedrali, etiam in ea ipsa, in qua habuerat (3).

5. Hæc fidei professio facienda est, non obstante consuetudine contraria (4).

6. Facienda est per se ipsum, et non sufficit per procuratorem (5);

(1) Bouix de *capitulis*, p. 3, cap. V, § 1, n. 12; Craisson *Manuale jur. Can.* n. 2368.

(2) Lucius Ferraris *Canonicatus* art. IV, n. 30; Barbosa de *canonicis* cap. 17, n. 12; Giraldi *Exposit. jur. Pontif.* p. 2, sect. 136.

(3) S. C. C. 1 Ap. 1786, *Soglia Instit. jur. publ. et priv.* § 21, edit. Boscoduc.; Lucius Ferraris loco cit. n. 7 et 8; Barbosa loco cit. n. 8.

(4) Bened. XIV *Instit. eccl.* 60, n. 7; Lucius Ferraris loco cit. n. 36; Giraldi loco cit. Bouix de *capitulis*, p. 3, cap. 5, § 2; Zamboni, tom. IV, *Professio fidei*.

(5) S. C. C. 18 Ap. 1590 in *Seguntina*; 12 Sept. 1620; 22 Sept. 1696 in *Cataguritana*; 26 Jan. et 9 Feb. 1726 *Cathacen.* in *thesauro resol.* tom. III, fol. 269;

ita quidem ut juxta Giraldi corrigendi sint doctores (1) asserentes eam fieri posse per procuratorem, attenta clarissima declaratione Congregationis Concilii.

7. Fidei professio fieri debet saltem intra duos menses a die adeptae possessionis canonici vel dignitatis, sicut Concilium præcipit. Huic præcepto satisfaciunt, qui eamdem emittunt post susceptam institutionem vel collationem, antequam in possessionem immittantur (2). Hic terminus duorum mensium non currit proviso, qui non accipit possessionem, quamvis per ipsum etiam stet, quoniam illam accipiat, neque currit, si possessio pacifica non fuerit. Prævia tamen non requiritur monitio; sed ipsi canonici et dignitates, si opus fuerit, sese ultiro offerre tenentur, ad faciendam fidei professionem. Professione intra duos menses non facta, per hoc non solvit obligatio illam faciendi, sed nihilominus quanto citius potest, facienda est, quia tempus duorum mensium non est præfixum ad terminandam obligationem, sed ad differendam executionem poenæ (3).

8. Facienda est primo coram Episcopo seu ejus officiali, et deinde coram capitulo (4), nisi fiat coram capitulo, cui interest Episcopus vel ejus vicarius generalis, quod sufficit (5). Oportet autem, ut vicarius, qui capitulo interest, sit vere vicarius generalis; nam S. Congregatio declaravit, satis non esse, professionem fidei facere coram solo capitulo in iis dioecesibus, in quibus Episcopi præter vicarium generalem, alium habent vicarium de gremio capituli, eum in finem, ut in causis Episcopum et capitulum concorrentibus, capitulum convocet, eique intersit (6).

Fieri potest coram Episcopo vel coram ejus officiali seu vicario generali, etiam Episcopo non impedito; tum quia hæc verba Con-

17 Ap. 1728, in *Toletana* apud Pallottini *Canonici*, § III, n. 263; Rota in causa Carthaginensis 19 Feb. et 22 Nov. 1588, apud Garciam de benef. p. 3, cap. III in fine. Lucius Ferraris Canonicus art. IV, n. 5; Muhlbauer de cœtu auth. S. R. C. *Professio fidei*; Giraldi loco cit.

(1) Reiffenstuel lib. 1, tit. 1, n. 181-187; Scarfantonius lib. IV, tit. X, n. 9.

(2) S. C. C. 20 Ap. 1782 in *Tiraconen*. Soglia loco cit. § 21.

(3) Barbosa de canonice cap. 17, n. 11, 15-17; Scarfantonius loco cit. n. 4-8; Lucius Ferraris loco cit. n. 9-13.

(4) Scarfantonius loco cit. n. 1.

(5) S. C. C. 26 Januarii et 9 Februarii 1726 *Cathacen*, ad III; Muhlbauer de cœtu auth. S. R. C. *Professio fidei*; Lucius Ferraris loco cit. n. 3; Barbosa loco cit. n. 4.

(6) S. C. C. 1 Ap. 1786; Soglia loco cit.

cili Tridentini eo *impedito* tantum adduntur quoad fidei professionem faciendam ab habentibus curam animarum, non autem a canonici et dignitatibus; tum quia tantum ponuntur ad denotandum, convenientius esse eam facere coram ipso Episcopo, cessante impedimento (1).

Sede episcopali vacante, non sufficit coram solo capitulo, sed eamdem etiam facere oportet coram vicario capitulari (2).

Facienda est coram capitulo, id est, coram canonici capitulariter congregatis; ita ut satis non sit eam emittere coram prima dignitate vel canonico seniore (3).

9. Omittentes fidei professionem intra duos menses a die adeptae possessionis, fructus non faciunt suos. Hoc intelligendum est, non de fructibus primi bimestris, quos suos faciunt, si nihil aliud obstat; sed de fructibus post lapsum duorum mensium, quos non faciunt suos a die elapsi primi bimestris (4). Lucrantur tamen distributiones pro horis, quibus intersunt, nisi cuncti redditus consistant in distributionibus quotidianis, in quo casu easdem amittunt, quatenus fructuum rationem habent (5).

Ad fructus percipiendos et retinendos non suffragatur nec prodest etiam longissima possessio, quamdiu fidei professionem non fecerint (6). Si eos percepient, restituere tenentur, juxta aliquos tantum post sententiam declaratoriam, quia decretum Concilii Tridentini est poenale (7); sed ante quamcumque judicis sententiam declaratoriam, secundum probabilem sententiam, cum de conventione tantum, et non de poena lex indicatur, sicut qui alienam rem possidet, tenetur eam restituere, etiam ante judicis quamlibet sententiam (8).

(1) Barbosa loco cit. n. 3; Garcias de beneficiis p. 3, cap. 3, n. 23; Muhlbauer loco cit.

(2) Barbosa loco cit. n. 9; Garcias loco cit. n. 27 et 28; Lucius Ferraris Canonicus art. IV, n. 4; Giraldi loco cit.

(3) S. C. C. 26 Januarii 1726, *Cathacen*, ad III; Giraldi loco cit.

(4) S. C. C. 11 Maii 1782, *Tirasonen*, apud Zamboni *Canonici*, § III, n. 246; Reiffenstuel lib. 1, Decretal. tit. 1, n. 193.

(5) S. C. C. 26 Januarii 1726, in *Cathacen*, ad IV; Bened. XIV de Syn. lib. V, c. 2, n. 5; Lucius Ferraris loco cit. n. 17.

(6) Lucius Ferraris loco cit. n. 28.

(7) Reiffenstuel lib. 1, tit. 1, n. 196; Schmitz, lib. 1, tit. 1, quæst. IV.

(8) Benedictus XIV, Instit. 60; De Angelis, Prælect. jur. can. lib. 1, tit. 1, n. 3; Lucius Ferraris loco cit. n. 29; Garcias de benef. p. 3, c. 3, n. 35; Scarfantonius, lib. IV, tit. X, n. 2.

Episcopus hujusmodi fructus amissos ob non factam fidei professionem condonare nequit, sed recurrentum est ad Sanctam Sedem pro impetranda absolutione a fructuum jam perceptorum restitutione (1).

Licet omittentes fidei professionem, fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur; ipsa tamen possessio suffragatur quoad titulum et proprietatem canonicatus, quoad vocem in capitulo et reliqua jura a die adeptae possessionis, quia Concilium non loquitur nisi de privatione fructuum (2).

10. Ordinario ex officio inquirente, an fidei professio facta fuerit, canonicus vel dignitas probare tenetur, se illam fecisse (3).

### § 3. De promissione et juramento præstantando a novo canonico.

I. In receptione novi canonici jus, præter professionem fidei, non præscribit ullam promissionem faciendam aut juramentum præstandum quoad observantiam statutorum et consuetudinum, nec quoad alia. Particularia autem statuta in certis ecclesiis præscribunt promittendam obedientiam Summo Pontifici, Episcopo, primæ dignitati et capitulo; atque declarandum, se omnia decreta Concilii Tridentini recipere; statuta capitularia, ordinationes et consuetudines servaturum, officium canonicatus adimpleturum, bona præbendæ conservaturum, secreta capituli non revelaturum, etc. et simul imponunt juramentum, quo hæc omnia confirmantur.

Joannes Molanus de canonicis lib. 1, cap. XX, anno 1585 refert, quod canonici, dum ad canonicatum admitterentur, interposito juramento, promiserint decano obedientiam, et statutorum atque consuetudinum observationem. Plures autem auctores agunt quidem de promissione et juramento quoad servanda statuta et consuetudines ac secreta capituli, non autem quoad alia præfata. Notari circa hæc possunt sequentia.

II. Promittitur et juratur obedientia Summo Pontifici, atque receptio decretorum Concilii Tridentini. Cum hæc in professione

(1) S. C. C. 1 Ap. 1786; Lucius Ferraris loco cit. n. 23 et 24; Barbosa de canonicis, cap. 17, n. 28; Reiffenstuel loco cit. n. 207 et 208; Giraldi loco cit. Soglia Instit. juris publ. et priv. § 21.

(2) Lucius Ferraris loco cit. n. 25; Reiffenstuel loco cit. n. 199; Barbosa loco cit. n. 30.

(3) Barbosa loco cit. n. 18.

fidei explicite contineantur, opus non est, ut specialiter promittantur et jurentur. Optandum vero foret, ut, sicut iterum atque iterum declaratur, decreta Concilii Tridentini recipi, sic etiam servarentur, ne, ut non semel accidit, quod verbis admittitur, factis negetur.

2º Promittitur obedientia Episcopo. Omnes sacerdotes in ordinatione sua Episcopo obedientiam solemniter promiserunt, et omnes clerici ex Ecclesiæ legibus illi obedire tenentur. Canonici tamen ecclesie cathedralis quandoque aliter sentire possunt et debent: dum videlicet Episcopus eorum consilium aut consensum petit; tunc ei respondere debent, non prout Episcopo placuerit, sed sicut conscientia dictaverit.

3º Obedientia decano, seu primæ dignitati aut digniori canonico promittenda aut juranda, revera nova est quæ assumitur et impunitur obligatio. Summo Pontifici et Episcopo omnes obedire tenentur; eodem autem modo decano obedientiam promittere et jurare, res bene consideranda est. Nam: 1º hæc obedientiæ promissio insolita et ita quidem ignota est, ut doctores de ea non loquuntur. Tractant de voto obedientiæ religiosorum; promissionis autem obedientiæ canonorum mentio vix invenitur. Si hæc fieri deberet, vel saltem expediret, id notarent, et de eo ex professo agerent. 2º Negotia quæ spectant ad capitulo, in conventu capitulari proponuntur, communi deliberatione examinantur, et tandem per vota majoris partis decernuntur, ita ut ultimi sicut et primi et dignioris canonici votum ejusdem sit valoris. Hæc vota omnino libera esse debent; si enim decanus aliave dignitas auctoritate sua in ea influere posset, capituli status et natura mutarentur et destruerentur. 3º Officia, munera et onera capituli per leges Ecclesiæ, per statuta propria vel laudabiles consuetudines determinata sunt; et si quid novum aut extraordinarium agendum occurrat, hoc non per decanum injungendum est, sed communibus votis per capitulo decidendum est. 4º Dicendum non est, plura non determinata, communia et quotidiana occurrere, et, si non sit qui auctoritatem habeat, hæc sæpius difficultatem movere. Idcirco enim non magis oportet, decano seu primæ dignitati obedientiam promittere in ecclesiis cathedralibus, quam parocho in majoribus ecclesiis parochialibus, in quibus plures habentur viceparochi, vicarii, capellani aliquique ecclesiastici, et qui, licet similia quotidie occurrant, nullatenus adiguntur ad parocho obedientiam promittendam atque jurandam. Quibus omnibus bene